

Disputatio medica inauguralis de purpura haemorrhagica / [John Webster].

Contributors

Webster, John.

Publication/Creation

Edinburgh : P. Neill, 1822.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/buzf4t3w>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PURPURA HÆMORRHAGICA;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JOANNES WEBSTER,
ANGLUS.


Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PURPURA HEMORRHAGICA;

AVGVSTVS SVMMO TITVLO
EX AUCTORITATE REVERENDI ACADEMICI VIRI
D. GEORGI BAIERD, SS. T. P.
ACADEMIE EMBURGENSES PRAELECTI;



SUMMISSE IN MEDICINA HONORIBUS ET TITVLIS
HABIT ET LEGITIME CONSEQUENTIBUS;

JOHANNES WEHSTER
AETATIS

Coloniae Agrippinae, hodie huiusmodi

EDITIONI
EXCERPTAT E. WEILL
KÖNIGSBERG

PATRI CARISSIMO

JACOBO WEBSTER, ARMIGERO,

DE *DERY*,

APUD INSULAM MONAM,

QUO NEMINI MELIOR ;

HANC DISPUTATIONEM,

BENEFICIORUM VERBIS INENARRABILIVM

MEMOR,

PIETATE, QUA DECET,

SACRAT

FILIUS.

JACOBO WEBSTER, ARMIGERO,

DE DENT,

APUD INSULAM MONAM,

HANC DISPUTATIONEM,

EXERCITIORUM VERNIS EXAMINATIONIBUS

MITON,

PIETATE, QUAE DECT,

ALIBI

FILIUS

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

PURPURA HÆMORRHAGICA

COMPLECTENS.

PRÆFANDA.

QUAMVIS ingenium humanum plerasquæ artium quæ ad bene beateque vivendum operam conferunt, insigniter auxit atque ornavit, confiteri tamen oportet medicinam haud multum exinde lucis accepisse: imo vero ex iis, qui eandem excoluerunt, complures celeberrimos, ratiocinandi-que et judicandi peritissimos, quam maxime eam

corrupisse, ejusque vero progressui obstitisse. Nemo medicorum ignorat, GALENUM, virum mente acerrima donatum, Artem Apollinarem, sexcentos amplius annos, obscurasse, et quasi compedibus vinxisse. Quem alii permulti secuti inani-
bus et falsis eam vitiarunt. Inquirere non inutile est, cur tanta acies tantique labores tantulum artem Machaoniam adjuverint. Hanc vero quæstionem agitare et fusius prosecui nec consilium initum postulat, nec angusti limites sinunt. Illud solum hic notabo, vitæ principium, particulam istam auræ divinæ, hucusque hominis ingenium fefellisse, sacro tectum involuero; ideoque leges ejus rectrices iis, quæ brutam tellurem gubernant, proculdubio dispares, nondum prorsus innotuisse. Huc accedit medicos ingenio ornatissimos, ordinis lucidi studiosos, at rationis Baconianæ immemores, legibus, quas ipsi initio finxerint, sparsa et indigesta subicere, potius quam hisce ipsis indagatis et invicem collatis, eorum leges causasque genitricas invenire nixos esse. Quot quantosque in errores lapsi sint medici, istam artis promovendæ rationem amplexi, dictu est difficile. Ex omnibus autem morbo-

rum generibus, quæ exinde eos luserunt, vix ullum memoratu dignius est, quam quod “Purpura Hæmorrhagica” apud hodiernos nominatur. Hanc, summos medicinæ honores ambiturus, argumento hujusce opusculi selegi: haud sane professus lucem me novam eidem illaturum esse: In animo est ostendere, perquam hallucinatos esse, qui *petechias* omnigenas, ratione inani prius accepta, ad vires labefactas et vasa resoluta retulerint: simulque, quam paucissimis, quæque notabilia ad morbum propositum attinentia explicare: sive quæ, in ipsis curationibus versatus, sive quæ, alienis fontibus petitis, cognoverim.

DE HOC MORBO NOMINANDO ET DEFINIENDO.

Hic morbus varia accepit nomina, prout cuique de ejus natura sentire placuerit. ADAIRUS, vir summa acie, qui ejus notas luculenter descripsit, nomen adhibuit harum præcipuis amplectendis idoneum; nempe, “*Hæmorrhœam*

Petechialem.” FERRISIUS* atque DE GRAA-FIUS†, “*Petechias sine febre*” vocarunt. DUNCANUS noster, qui tanta laude complures annos Medicinam Theoreticam alumnos Edinenses edocuit, “*Petechianosin,*” sive “*Aimorrhæam,*” nuncupare maluit. Nomine VILLANIANO uti in animo est; id est, “*Purpuram Hæmorrhagicam*” vocare: quippe quod optime signa præcipua complectitur; nimirum, sanguinis cursum, atque maculas purpureas.

BATEMANUS, VILLANUM secutus, *Purpuram*, apud librum de cutis morbis conscriptum, uti Genus, proposuit: cui *species* quinque subjecit, scilicet, *Purpuram simplicem, Urticantem, Contagiosam, Senilem*, atque *Hæmorrhagicam*. Ipsam vero *Purpuram* definitio esse, “Maculas purpureas invicem disjectas et parvas, viribus aliquando fractis: febre vel comitante vel deficiente.” Siquidem non nisi *Purpuram Hæmorrhagicam*

* Vide FERRIS, apud “Medical Facts and Observations,” vol. ii. MDCCXCI.

† Vide “Disp. Inaug. de Petechiis sine Febre,” Gott. MDCCCLXXV.

persequi consilium est, missis aliis, hanc sic definire placet: “Cutis maculis purpureis, citra asperitatem aut humorem, non manu premente evanescentibus, vitiata; aliquando vesiculæ cruore plænæ prodeunt: sanguis, hic illic, admota causa levissima aut nulla, profusus, haud ulla simul parte corporis exulcerata, nec urgente febre: vires non semper labefactæ.” Confiteri oportet, hancce definitionem non esse satis lucidam aut concinnam: At vero difficile est ita definire, ut verba pauca notas hujus mali proprias, dubiis vel fortuitis prætermisissis, amplexura, eam clare patefiant. Illæ enim *Scorbuto* cum *Purpura Hæmorrhagica* communes sunt; quo fit ut aliquas *Scorbuti* proprias deesse, opus sit declarare.

DE INDICIIS.

Purpura Hæmorrhagica, instar aliorum morborum plurium, non omnes quos adoriatur, iisdem implicat malis: at plurimum mutatur, prout corporum proprietates varient. Non quod non

utrumque sexuum aggredi potest, omnesque partes ætatis, et omnigenam corporis indolem pariter affectat : exinde autem aliam alias formam sibi induat, necesse est. Nonnullos ex improvise male habet, prænunciis deficientibus : at sæpius valetudo antea conquassari incipit. Non raro vires cibi concoctrices prius dilabuntur : id quod testantur hæ notæ prægressæ, nempe, vomitus, cibi fastidium, dolor capitis et quæ sunt hujusmodi. Modo febricula antecedit.

Maculæ lividæ, vel *petechiæ*, omnium hujus morbi notarum prima esse consuerunt. Initio crura fere iisdem efflorescunt : dein serius ocyus, femora, brachia, pectora, dorsum et venter. Interdum vibices liventes erumpunt, perinde quasi verbera summam cutem violassent, maculis exilioribus hic illic interjectis. Manus rarius iisdem vitiantur : nec sæpe maculatur vultus. Inter principia rubor lætior nitet : postea maculæ livere cœperunt : tandem, desituræ, subfuscae aut flavæ fiunt : id quod conspiciere licet, quoties artus contusus *ecchymosi* laborat. Hinc manifestum est, maculas alias eidem homini alios exhibere colores : non omnes enim simul erumpunt, ma-

turescunt aut abeunt. Frequentius, non prominent, cuticula lævi atque nitente obductæ: aliquando tamen sanies subatra subtus effunditur, hancce elatura: id est, vesiculæ lividæ vel nigræ apparent. Partes autem tenerrimæ, tegumentisque tenuissimis velatæ hisce potissimum scatent, lingua, genæ, labia, palatum et gingivæ. Scire licet, maculas, vel leviter tactas aut pressas, sanguinem fundere solitas esse: quinetiam, partes summæ cutis jam decolores et sanas digito quam minime pressas aut contrectatas, extemplo purpurascere; maculis nempe novis fœdari.

Maculæ, quod jam notavi, mole permultum variant. Alias exilissimæ sunt; alias eas referunt, quas pulices mordendo intulerint.

Nec solummodo maculæ contrectatæ pressæve cruorem fundunt; at frequenter sua sponte. Quinetiam, hujus morbi proprium est, sanguinem uberrime, apud partes interiores membranis *mucosis* instructas, profluere. Quidem sane infelices subito obierunt, aut viribus inde lapsis *syncope* lethalem facturis, aut homine strangulato, si cruor effusus animæ meatum, (membrana *mucosa* obductum), obturaverit. Aliquando cruor

parcius et lentius effluit. Modo certam legem temporis hic fluxus servat, integritatibus interjectis; alias, incertis temporibus, prodit; alias, sanguis assidue, at non large, effluit.

Quanquam nulla ex membranis *mucosis* hoc profluvio immunis esse potest, cruor tamen potissimum e gingivis, faucibus, lingua, labiis, genarumque facie interiori, effundi solet; nec raro ex membrana palpebrarum interiori, eave, quæ auris meatum externum, et urinæ vias, obducit. Quanto nimirum subtilior et tenerior sit aliqua ex hisce membranis, quantoque vasis abundantior, tanto eadem huic fluxui subeundo opportunior est. Vix opus est ut adjiciam, asperam arteriam, ejusdemque surculos, intestina atque partes naturales frequenter cruore profuso scatere. Haud celandum est, signa jam relata perquam esse varia et incerta; nec semper membranas interiores eo plus cruoris effusi exhibere, quo magis summa cutis maculis purpurascat: præceptum nempe perpetuum huic rei deesse.

Quod ad naturam sanguinis effluere soliti, aliis alius esse fertur. Eum interdum subatrum esse accepimus; subinde porro concreta quasi innatan-

tia habuisse. Quinetiam, auctores fide summa dignandi contendunt, nonnunquam profluere cruorem præter naturam resolutum atque tenuem, neque sponte sua cogendum. Multo sæpius tamen, quantum percontatus, aut in ipsis curationibus versatus, comperire potui, iste cruor, vix aut ne vix quidem, sanguini cujusvis integerrimi alienus est.

Ex supra comprehensis patet *Purpuram hæmorrhagicam* duobus præsertim malis denuntiari; nempe, cute summa maculis purpureis foedata, necnon sanguine apud membranas *mucosas* fuso. Interdum, fere, desunt aliæ notæ; certeve, indicia mali habitus, valetudinis contritæ viriumque lapsarum, non prius accedunt, quam sanguinis cursus diutinus et copiosior robur demum fregerit. Cui rei insistendum existimo; siquidem quidam medici errarunt, hunc morbum semper e viribus conquassatis exoriri opinati.

Præter hæc, nonnullis hoc malo ægrotantium, artus antea dolent et languent, quam ipsius propriæ notæ accesserint: non raro mens tristis labitur, et membra solvuntur, per integrum malorum progressum; imo vero defecit anima. Quidam

febricitare videntur; vicibus nempe alternis, inhorrescunt et præter naturam incalent: vultus quoque nonnunquam perinde erubuit, quasi febris *hectica* exerceret. Multi tamen febris vacui sunt. Viscerum inflammatio subacuta quibusdam accidisse apparet: dolor enim pectoris aut ventris penetralibus modo inhæsit, arteriis simul aliquantum concitatis. Fere semper equidem arteriæ paulo crebrius quam corpore sano, atque languidius moventur.

Non defuerunt, quibus contigere tussis, tensio ventris, et dolor ejusdem premente manu auctus; porro actionis ventriculi turbatæ notæ, lingua sordida, alvus tarda, atque dejectiones nigræ. Aliis vires ciborum concoctrices intactæ manserunt. Quod si jam diutius hic morbus traxerit, quantumcunque valetudo initio lapsa fuerit, demum conquassari cœpit (id quod fluxus ipse sanguinis moliri poterit), facies tandem fit lurida, summam animi et corporis resolutionem denuntiatura: homo tabescit, diroque hydrope intumescit.

Quamdiu perstet hæc valetudo, dubium est: modo diebus paucis exactis, in salutem aut mortem abiit, alias menses aliquot duravit. Non-

nulli ex improvise, animæ canalibus cruore refer-
tis, absumuntur, quod supra retuli : quidam viri-
bus ob rivum ingentem emissum labefactis perie-
runt : alii actione cujusvis viscerum perturbata :
alios pedetentim quasi enecuit cruor passu lento
corporis ubique fusus. Permulti demum re-
luere, vasis *lymphaticis* sanguinis subter summa
cute profusi resorbendi potentibus.

DE DIAGNOSI.

Scorbutus et *Typhus*, *Purpuram hæmor-
rhagicam* aliquantum referunt ; certeve omni-
um horum commune est, cutem maculis purpu-
reis vitare. Quomodo igitur morbus, quem pro-
sequor, ab his dignoscatur, paucis disputabo.

Nondum satis lucis *Purpuræ hæmorrha-
gicæ* naturæ affulsit, ut exinde causa continens
patescat : neque clare constat, quousque, sedem,
Scorbuto discrepet. Illud vero sine dubio con-
venit, hos morbos penitus inter se differre, nec
Purpuram hæmorrhagicam generi *Scorbuti*
mitiori existimandam. Haud equidem infician-

dum, illius cum hoc communes esse maculas purpureas et sanguinis cursum. Illi tamen multa huius propria desunt.

Quem *Scorbutus* sit plexurus, ei antea contingere solent multa læsæ valetudinis indicia, quam cutis maculari, et sanguis effluere cœperunt: Qualia sunt, mens demissa, vires artuum solutæ, ipsa *syncope*, dolores, vultus luridus: nimirum, habitus malus et virium resolutio sanguinis cursum antecedunt; imo vero, ut opinor, gignunt. Contra, quem premit *Purpura hæmorrhagica*, eum, valetudine non prius conquassata, nec prægressis aliis malis, maculæ et profluvia sanguinis male habent: nempe infirmitas hæc signa sequitur, non antecedit. Quinetiam *Scorbutus* diuturnitate jam confirmatus notas pessimas, quæ alteri deficiunt, vel perraro eveniunt, facessit: dentes, scilicet, laxi ex alveolis facile excidunt; gingivæ spongiosæ tument, modo exulcerantur; anhelitus foetet; membra diro hydrope turgent. Huc accedit, maculis (quæ non principio ipso prodeunt) adjici artus torpentes et solutos, crurum ulcera foeda, suras rigidas, crebram animæ defectionem, febremque *hecticam*. Quorum pleris-

que semper vacat *Purpura hæmorrhagica*; vel, si quæ earum urgeant, haud antea invadunt, quam cruor jam diutius et copiosius fusus robur fregerit. Præter hæc, atque præ omnibus, morbus, de quo agimus, neque iisdem causis evidentibus, quibus *Scorbutus*, nascitur, nec eadem curatione debellatur: scilicet, neque carnes sale conditæ et putrescentes ingestæ inferunt; neque succus *citri medicæ*, aliaque remedia istiusmodi, tollere possunt.

Haud difficile erit *Typhum* a *Purpura hæmorrhagica* discernere. Hæc perraro febris indiciiis stipatur: quod si quando æger febricitat, notæ tamen leviores vexant; nec delirium accedit: quam diutissime porro duravit, citra corporis animive robur labefactatum. Quem autem *Typhus* implicat, ei eveniunt febris incitissimæ signa, *petechiis* nondum prodeuntibus: quæ quoque viribus cerebri et nervorum jam plurimum languescuntibus enascuntur: quo fit ut *petechiis* fere semper accedant stupor, delirium, tremor, singultus, sudores gelidi, pulsus arteriarum exiles, et alia ejusdem generis. Quibus in animo habitis, dubitare non medico licebit.

DE CAUSIS ABDITIS.

Uti hujus morbi sedes et causa continens, ita quoque causæ abditæ, parum hucusque compertæ sunt. Illud convenit, nullam ætatem, neutrum sexuum immunem esse: id quod usus satis superque edocuit. Procliviores tamen sunt molles, irritabiles, teneri, cuteque tenuiori donati. Hinc viri minus quam mulieres, vegeti et rigidi minus quam delicati, adulti minus quam impuberes, opportuni sunt. Indoles *strumosa* nequaquam homines *Purpuræ hæmorrhagicæ* subeundæ aptare habenda est. Innumeri enim *scrophula* inquinati ea vacarunt.

Pauperes præ divitibus in hunc morbum incidere feruntur. Denique, hoc unicum de causis abditis jure prædicari videtur, homines laxos, flaccidis carnibus instructos, potissimum *Purpura hæmorrhagica* ægrotare. Nec vero celandum, interdum homines, quod ad alia, sanos et validos, ea affici: ideoque expectandum, dum posterius luce nova hanc argumenti partem illustraverint.

DE CAUSIS EVIDENTIBUS.

CONFITERI oportet persæpe latere causas excitantes: Usu tamen et ratione docti, proponere haud dubitamus, omnia, quæ vires corporis solvant, partesve solidas emolliant aut laxent, huic morbo ciendo esse habilia. Huc spectant vita ignava, opificia et negotia, quæ membra exerceri non sinunt, vigilia nocturna, mœstitia, timor, et alia istiusmodi. Hinc artifices in conclavibus parum spatiosis nec idoneo perflatu præditi habitare soliti, in *Purpuram hæmorrhagicam* incidisse feruntur.

Quidam, aliis morbis prægressis, propositum sunt perpassi: verique est simile hominem malis acutis, vel interdum longis jam finitis, infirmatum, certe ad *Purpuram hæmorrhagicam* subeundam aptiorem fieri. Accepimus quoque eandem subinde *rubeolæ* atque *variolæ* supervenisse; mulieresque jam enixas invasisse. Longo sermone hanc prosequi argumenti partem, inutile duco:

quum enim causa continens hucusque tenebris versatur, causæque evidentes jam relatæ sæpenumero non hoc malum illatæ pariunt; quod ipsum porro iisdem absentibus crebro accessit: multa huc attinentia adhuc desiderari, posterorum ingenio patefacienda, constat.

QUÆDAM DE CAUSA CONTINENTE ATQUE SIGNORUM RATIONE.

SATIS e supra comprehensis patet, medicos, nondum hujus morbi sedem detexisse: ignorari nempe causam, quæ sublata eum tollat, mutata mutet. Cadavera mortuorum scalpello incisa et introspecta, quam minime ejus naturam ostenderunt. Nonnullis profecto lien mollior, amplior, compagisque solutæ apparuit: quod tamen *Purpuræ hæmorrhagicæ* effectui, non causæ, esse perhibeo. Modo jecur male se habuit; frequenter cruor profusus vias interiores obturasse conspicitur: At nemo hujus mali paulo scientior exinde causam continentem deducere nitetur.

Nonnullis placuit sanguinem ipsum putrem, vel ad putredinem præcipitem, causam esse continentem. Quibus duplicem ob rationem assentiri nequeo: imprimis, scilicet, corpus vivum putrescere non potest; vitæ est enim potissimum iis motibus intestinis, quibus continetur putredo, occurrere: deinde, vires nequaquam semper hoc morbo tentatis languent: imo vero interdum opus est venas vacuefacere. Neque sunt audiendi, qui contendunt eundem carnibus et vasis laxatis contineri: manifestum est enim valetudinem firmam modo eum comitari; necnon, summam partium solidarum mollitiem, citra hunc vel alios morbos ei affines, subesse posse: Haud inficias est eundem, quin medici, hoc malo et *scorbuto* invicem collatis, neque raro confusis, exinde de causa continente medendique ratione multum hallucinati fuerint.

BATEMANNUS* et PARRIUS†, quædam *Purpuræ hæmorrhagicæ* exempla ediderunt; quibus

C

* Vide "Reports on the Diseases of London," p. 130.

† Vide "Edinburgh Medical and Surgical Journal."

innixi contendunt vasa sanguine præter debitum onusta causam esse continentem. Hi clari viri perhibent arterias et venas eo usque sanguine tursisse, apud ægros jam relatos, ut ubique corporis cruor intus profluxerit, membranis *serosis* haud minus quam *mucosis* eodem fuso gravatis; quinetiam, alvum expurgatam, venas arte vacuefactas, aliaque materiæ demendæ idonea, secundam valetudinem revocasse; nec paucis ægrorum sanguinem jam missum tunicam istam corio similem præ se tulisse; atque cor et arterias æquo validius et citius micuisse. Eo autem in horum sententiam jurare nolumus, quod sæpenumero corpora sanguine plenissima *Purpura hæmorrhagica* vacarunt. Probabile est vasa quoque laxa, certe vitiosa, multum ad eandem gignendam operæ collocare.

Sequitur ut opinionem Duncanianam, omnium, ni fallor, verisimillimam paucis explicem. DUNCANUS, Professor * Medicinæ Theoreticæ venerandus, comprobavit sanguinem hoc morbo vexatis fere semper *fibrinæ* pauperem esse; nec

* Audi Prælectiones Duncanianas.

solummodo *fibrinæ* copiam imminui, verum insuper eandem æquo laxiorem esse. Hunc igitur medicum secutus, conjicio *Purpuram hæmorrhagicam* sanguine tenuiori, id est *fibrinæ* pauperi, necnon hac ipsa justo solutiori, contineri. Inducor, qui ita sentiam, ex eo quod exinde signorum ratio patefieri potest; non aliunde, uti conjicio, deducenda. Imprimis enim, habitus sanguinis jam dictus vasa aliasque solidas partes quodammodo laxet et emolliat, necesse est: e sanguine enim, uti pabulo, fiunt singulæ partium solidarum; quibus ideo *fibrinæ*, si sanguini deficiat, minus æquo aderit. Quinetiam, suspicor plenitudinem istam vasorum, de quibus BATEMANNUS et PARRIUS meminerunt, ad sanguinem *fibrinæ* jejunum referendam esse. Hic humor enim pauperior atque tenuior minus quam ex consuetudine cordi atque arteriis ciendis fit habilis: unde secernenda et excernenda minus secernantur et excernantur, ideoque corpus impleatur, necesse est. Vasa, igitur, omnia, aliæque partes solidæ, præ sanguine, eorum fonte, tenuiori, laxiorem sibi fabricam induunt: quæ tamen resolutioni viribus contritis et dilapsis ori-

uudæ, omnino est absimilis; laxitas nimirum, quam refero, sui similis est, *Purpuræque hæmorrhagicæ* propria. Supra enim edocui hanc valetudinem sæpe vegetos adoriri.

Si demum tam grave argumentum conjectura aggredi liceat, perhibeo causam combinentem esse “humorum circumeuntium tenuitatem, partes solidas maximeque arterias et venas laxaturam, suique similem.” Quam potius probabilem, quam comprobatam et veram propono: quæ tamen eo magis arridet, quod ea usi plurimum signorum rationem retegere possumus. Vasa nempe laxata et onusta facile sua sponte dirumpuntur; quibus diruptis, cavernæ telæ reticulatæ cuti subjectæ cruore implentur id quod maculas constituit; membranæque *mucosæ* sanguine fuso obturantur. Robur animi et corporis demum, serius ocyus, dilabi haud admirandum est: tanta enim moles cruoris effusa hominem infirmabit. Fateor simul plurima hucusque deesse, hujus mali sedi et naturæ penitus illustrandis apta.

DE PROGNOSI.

HUCUSQUE argumento proposito exacto, sequitur ut eas notas explicem, quæ eventum futurum prænuncient. Quum vero neque causa neque signorum ratio adhuc clarissime perspectæ fuerunt, manifestum est ea quæ spem aut metum indicent, vel expertum interdum fallere posse.

Quamvis autem exitum venturum præsagire non semper vel peritissimo liceat, haud inficias est eundum, quin si copia sanguinis ingens intus prorumpit, homo valde periclitetur. Sunt equidem certi fines, quos ultra sanguis profusus cum vita sociari nequit: quidam igitur, vel antea vegeti, subito, anima deficiente, obiere: alii in diu hydropem et malum habitum incidere, fluxu permagno labefacti; minus simul copioso quam qui vitæ flammæ extinguendæ sit habilis: quos ideo eventus luctuosos, si multum cruoris profluxerit, metuere oportet. Usus demum comprobasse videtur, profluvia sanguinis hoc morbo affectos debilitare; non debilitatem prægressam

profluvia inferre; ideoque, quanto major moles effluxerit, tanto magis desperandum esse; quanto parcius, tanto minus instare periculi. Neque is in discrimine versatur, qui actione cordis, arteriarum et cibi concoctrice integra perfruitur; cuique maculæ, initio purpureæ, demum læte rubere, vel disparere cœperint. In præcipiti est, quem, sanguine multo jam fuso, febris *hectica* corripit; nec tutus aut salvus futurus haberi potest, cui animæ meatus cruore impeditus spiritum gravat, tussimque movet: timendum est enim, ne viribus simul quam minime dilapsis, derepente, rivo novo intus profluente, stranguletur.

DE CURATIONE.

NEMO hujus mali paulo servantior, necnon eorum, quæ medici de eodem literis mandaverint, scientior, ignorare potest, medicos fere omnes iisdem nixos esse remediis, quodcunque de ejus natura senserint: et quantumcunque de ea re inter se distiterint: quippe qui non ex istis rationibus

medendi rationem deduxere ; at potius, huic morbo occurrere conati sunt, iis remediis concessis, quæ in alios ei quodammodo affines prodesse usu cognoverint. Consilia medendi quæ vocantur proponere, aliquando difficilius est, ob causas satis evidentes : quæ tamen prolata siquidem ordine lucido curationem ornant, in animo est hæcce proferre : nimirum, oportet

- I. Causas Excitantes submovere.
- II. Fluxum Cruoris cohibere.
- III. Viribus, si concidant, succurrere.
- IV. Corpus vacuefacere, siquis plenior et firmus, citra causas evidentes admotas, ægrotat.

I. De causis subducendis multa conscribere alienum foret et supervacuum. Siquidem ignavia inter eas præpollet, constat ægro indies esse ambulandum vel equitandum, modice et citra fatigationem ; eo ut secernenda rite secernantur, et excernenda rite excernantur. Quæcunque animum sollicitum aut tristem habeant, corpusque solvant aut hebetent, summa cura fugi debebunt. Somni nocturni conciliandi : habitare hominem

oportet in conclavi ampliori et lucido, quod auris æstivis, solique hiberno objiciatur. Vestitus optime conveniet, qualis citra sudorem, sub omnigeno cœlo, cutem leviter et continenter spirare sinat.

II. Sanguinis profluvium æquo copiosius, medicamentis adstringendo et refrigerando idoneis, compesci debet. Hujusmodi sunt *kino, supersulphas argillæ et potassæ, cortex Querci pedunculatæ, cortex Cinchonæ officinalis, infusum Rosæ Gallicæ*, necnon *acida fossilia*, præsertim *sulphuricum*. Hæc omnia interdum opem tulerunt : nec vero ea laudibus summis dignamur, quas nonnulli contulere : valde enim suspicamur, naturam ipsam, potius quam medicinam, complures ad salutem reduxisse. Si gingivæ aut fauces effusum sanguinem exhibent, os erit gargarisandum : huc satis respondebit *decoctum corticis Cinchonæ officinalis*, paululo *tincturæ myrrhæ acidique sulphurici aromatici* mistum. Fluxus sanguinis, ægro jam pleno, necdum infirmato, frequenter venis arte vacuefactis cedit. De hoc auxilii genere (IV.) mox fusius disserendum.

III. Viribus inedia, mœstitia, ignavia, aliundeve fractis, succurrendum erit. Ni ventriculus irritabilis respuat, *cinchona officinalis* proderit. *Tinctura muriatis ferri* non aliena erit: carnibus porro vescendum. Vinum rubrum Lusitanicum, atque cerevisia meracior, multum recreabunt. Ne multa, omnibus modis, maximeque victu opimo, id est, cibis *fibrinæ* et *gelatinæ* ditioribus, mens et corpus refocillanda sunt.

IV. Denique, quoniam pleni et firmi, causa excitante nulla prægressa, aut latente, aliquando *Purpura hæmorrhagica* torquentur, manifestum est hos potius esse sedandos quam concitandos, extenuandos quam implendos. Quicumque igitur validus, citra causam evidentem illatam, hanc valetudinem patitur; ei alvus acriter sollicitanda, ingestis prius *sub-muriate hydrargyri*, radice *convolvuli jalapæ* misto, deinde quovis salium mediorum: venæ porro deplendæ, aut hirudinibus impositis, aut icta vena brachii. Eoque potius hisce utendum remediis, si homo febricitat, lingua sorde candida fuscave tegitur; arteriæque citius et durius saliunt, quam fert natura; sive

dolores viscerum et tussis nihil exscreatura, exercent. Nec solummodo, inter hæc, alvus purganda, sanguisque mittendus; verum insuper, subinde partem dolentem, *emplastro meloës vesicatorii* imposito, exulcerare opus est.

Cum vero sanguinis profluvium tandem, serius ocys, vel fortissimos infirmat; remediis supra descriptis jam tempestive concessis supervenire debebunt medicamina roborando habilia, de quibus antea memini, victus satis aliturus, vitæque genus menti et corpori firmandis accommodatum.

FINIS.

TESTAMEN MEDICUM
OPTHALMIA MEMBRANARUM

EX AUCTORITATE REVERENDI ACADEMICI VICE
D. GEORGI BAIRD, S. T. P.

ACADEMIE EDINBURGENSIS PRAELECTI
SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
FACULTATIS MEDICAE DECRETO;
Pro Cuius Doctoris.

AD AUCTORITATEM REVERENDI ACADEMICI VICE
D. GEORGI BAIRD, S. T. P.

GULIELMUS WHYMPER

AVGUSTUS

Ad res gerendas hic tribus compellitur
Necessitate, hoc, consuetudine
Prolegum, Testamentum.

CALVINUS AUGUSTUS HORA LOCUTOR SOLLIS

EDINBURGH

EDINBURGH & SELL

MDCCCXXI